

aut Rheni statuat cœrulus incola?
 .Eui nonne vides sæpe die breuis
 includi spatium, nec senio dari
 (non æqua tetricae lege Proserpinæ)
 quod natura nimis finxerit arduum?
 Sic nuper Galeotti ampla manus mei,
 et mens ingenuis prædita moribus,
 regalisque decus sortis, et hei mihi
 fato rapta malo tot bona, tot sales :
 sic et musa deorum inclita laudibus
 cantatis numeris eximiæ chelis,
 insuetæque meis hactenus auribus,
 quæ, quamuis patria creta sit athide,
 romano potius detonuit sono,
 quo sævæ Libitinæ et nimios metus
 vitet continuo tartaræ domus.
 Quare, dum licet atque illacrymabilis
 permittit soror, hanc pone molestiam
 curis, Iane, leuans pectus edacibus,
 sermonesque mades socraticos quibus
 oblitus, breuibis cinge caput rosis ;
 antro subque meo læue merum bibens
 gratis seu patriæ concine vocibus ;
 seu sic, utque ego nunc, facta deum moue
 supremique Iouis, cum fera fervido
 Titanum penitus sustulit agmina
 ictu, nec tumidas Enceladi minas
 victor pertimuit ; Pelion at suo
 iussit stare loco ; iussit et integram
 Ætnam suppositus sustineat gigas ;
 dum cælum auricomis emicet ignibus,
 tellus dumque suis addita floribus
 lætos vere nouo sufficiat dies,
 aut dum tantus honos, dum Leo maximus
 regnet, iam prece multa auctus et hostia.

Laus Heluetiorum (7 distiques).

Bibliothèque nationale de Paris : Y 1623. Réserve.

NOTE SUR L'ANNÉE 1520.

Nous croyons utile de signaler la publication, en cette année, des lettres grecques et latines de Guillaume Budé :

